

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1200 - 1201

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

Rudolphus scultetus, Burchardus de Ehenheim scultetus, Hartemannus de Cunisberc, Dietmarus scultetus de Slecestat, Hartlieb, Hugo, Dorfmannus cum aliis quam pluribus. factum est autem hoc anno ab incarnatione domini 1200, regnante Philippo Romanorum rege.

*Aus Würtwein Nova subs. dipl. X, 188 nr. 66 nach einem jetzt unerfindlichen Original des chemal. Straßb. bischoft. A.* 5

139. *Bischof Konrad von Straßburg schließt unter dem Beirath des Domcapitels, der Ministerialen und der Bürger von Straßburg mit dem Grafen Rudolf von Habsburg einen ihr gegenseitiges Rechtsverhältniß regelnden Vertrag. 1201 Straßburg im bischöflichen Palast.* 10

In nomine sancte et individue trinitatis. ego Cånradus dei gratia Argentinensis ecclesie episcopus omnibus Christi fidelibus in perpetuum. notum facimus tam presentibus quam futuris, quod longam et antiquam discordiam, que multis retro temporibus inter nos ac nostros antecessores et comitem Rådolfum de Habesburch ejusque parentes fuerat, consilio fratrum nostrorum majoris ecclesie, hominum quoque ministerialium et burgensium nostrorum taliter sedavimus et perpetua pace terminavimus: inprimis ordinatum fuit, quod prefatus comes ejusque heredes de cetero perpetuo debeant esse liberi homines et absoluti et expediti ad servicium episcopatus contra omnem hominem viventem. episcopus quoque Argentinensis ei et heredibus suis tamquam liberis et absolutis hominibus fidem tenere debet. et quia prelibatus comes se taliter episcopatu obligavit, pensato quoque fidei ac magno servicio, quod nobis exhibuit et de cetero cum suis heredibus exhibere promittit, in multis ei condescendimus, de quibus antea contentio fuerat. statuimus siquidem, quod, ubicumque episcopatus seu comes predictus homines vel bona in curiam Rubiacensem pertinentia libere ad manum suam habeant vel posthac liberata conquirant et nominatim villam Gēbelischeswilre, in eis episcopus solus petitionem suam habeat et jam dicto comiti vel ejus nuntio de omnibus, que dabuntur, terciam partem assignet et ipse comes, si ab episcopo requisitus fuerit, cum suis militibus et hominibus in ipsa petitione facienda episcopo auxiliari debeat. causas vero et justiciam, quam ipse comes pro advocatia Rubiacensi, quam ab episcopo tenet, exercere debet, secundum morem et justiciam Argentinensis civitatis procurare debet. in predicta quoque advocatia jam dictus comes nullo tempore hospicia recipere debet, nisi cum ab episcopo ad servitium episcopatus invitatus fuerit. allodium de Theirynbach, in quo edificata est domus, jam dictus comes episcopatu liberum dimisit et, quantum in nobis est allodium, quod cambiverat cum ipso predicto allodio, ipse comes liberum habeat nec a nobis super hoc inpediri debet. ut autem hec nostra et comitis conventio nostrorum ac suorum fidelium consilio peracta robur optineat perpetuum, tam nostro quam capituli nostri atque burgensium nostrorum munimine sigillorum ex parte nostra corroborari fecimus, fidelis quoque noster comes Rådolfus proprio sigillo stabiliri precepit. acta sunt hec in aula episcopali Argentinensi feliciter anno verbi incarnati 1201, indictione 4. testes canonici majoris ecclesie Ölricus decanus, Fridericus cantor, Morandus scolasticus, Heinricus custos, Albertus,